258.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

MEDICIS MORBORVM CAVSA.

§. I.

NVlla certe disciplina vel ars est, cuius applicatio adeo anceps, cuiusque exercitium tanto stipatum periculo, quam ea, quæ tuendæ cum sanitate vitæ præest & circa morbosas affectiones, tam præcavendas, quam sanandas, occupata est. Hac, si recte colitur & agitatur, uti præstantius & optabilius nihil; ita vicissim eadem nihil perniciosius, quando a temerariis & imperitis tractatur. Dolendum hinc magnopere est, quod tam pauci sint, qui divinam hanc artem recte calleant, innumeri vero idiotæ & solidæ scientiæ plane expertes, qui turpis lucri & quæstus causa, audaci & frivolo ausu ipso opere eam profitentur, de quo iam pridem HIPPOCRATES, *Libro de arte*, conquestus est, multos esse medicos fama ac nomine, re & opere paucos.

§. II.

Quod vero magis mirandum, ars hæc adeo ardua atque difficilis, vulgo tamen tam obvia & exercitu facilis esse creditur, ut nemo non eidem manum admovere audeat & non tantum simplices & plebeii, verum prudentes alias etiam & splendido loco nati, cuilibet morborum artificem sese venditanti, fidem habeant & quod omnium præstantissimum, vitam, imprudenter in aleam dent. Invehit, & quidem merito, in perditum hunc morem ipse PLINIVS, *lib. XXIX. cap. I. in hac artium* inquiens *sola evenit, ut cuicunque medicum se profitenti statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio maius.* Et paucis interiectis, hanc subiungit rationem: *nulla lex est, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris & experimenta per mortes agunt, medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est.*

§. III.

Causa vero & origo communis & fere epidemici huius valde detestabilis mali, certe nulla alia, quam quod homines ad unum fere omnes, nullum verum conceptum de arte sanandi ipsisque medicamentis habeant. Perversa enim & quasi innata hæc omnium animis hæret opinio, quod medicamenta prostent, quæ morbum quendam certo semper & absolute curent; unde, quando semel, vel iterum felix a sumto remedio in certo morbo effectus sequutus fuit, protinus soli pharmaco adscribunt efficaciam, perpetuam postea in tali morbo semper futuram, cum tamen alio tempore in simili morbo idem datum medicamentum, vel exiguam utilitatem, vel prorsus damnum, afferat. Enimvero sanare morbum, nil aliud est, quam eius causas tollere, quæ, quum sint in eodem morbi genere plures

& pla-

& plane differentis indolis, immo pro diversitate corporum & naturarum, alia atque alia inferant symptomata, paucissimi etiam has morborum causas recte cognoscere & intelligere possint; evenit utique, ut sæpissime frustra, vel plane cum detrimento, causis his morbum inducentibus vincendis remedium opponatur.

§. IV.

Mirum profecto est, quam varias, immo plane alias, pro differente natura corporum, quæ ratione ætatis, temperamenti, structuræ partium, locorum, victus, etiam ipsius animi habitus, varia est, idem medicamentum datum efficiat operationes. Porrigat exempli causa quispiam decem eiusdem etiam ætatis pueris, idem laxans, ad præservandos, uti vernali hoc tempore moris est, morbos, in singulis alium & admodum differentem observabit effectum, unum valide purgabit & sex vel septem sedes movebit; alii tormina creabit in ventre cum exiguo fæcum secessu; tertius nauseam & vomitum experietur & alvus simul solvetur; in aliis cito, in aliis tardius, in nonnullis nullam plane edet efficaciam. Id quod tamen non tantum valet de laxantibus, verum etiam aliis remediorum generibus, diureticis, sudoriferis, anodynis aliisque. Neutiquam igitur medicamentis absolutæ quædam insunt vires & virtutes ad salubritatem, vel insalubritatem, nihilque in se & sua natura salutare, vel noxium dici potest, nisi relatione facta ad ipsam naturam corporis vita & sensu præditi, sed quod uni est venenum, alteri sæpe cedit in salutem & medicinam, & vice versa. Ingens præterea individuorum, eodem licet morbo laborantium, varietas, diversam in quovis poscit medendi rationem, quam cuivis accommodam & invenire, & instituere, summi certe res est iudicii.

§. V.

Hæc iam qui novit & curatius ſecum penſitat, is profecto non tam facilem, ſed plane difficilem, imo multis periculis expoſitam, hanc artem in imperitis, certiſſime ultro iudicabit, neque tam facile illis aſſenſum ac fidem præbebit, qui ſpecioſas laudes & grandia encomia de hoc vel illo medicamento, ſeu arcano, in ſanandis morbis impudenter non minus, quam inſipide iactitant, etiamſi, vel miracula eodem ſeſe præſtitiſſe aſſeverent. Ita quidem ſtolide gloriari & de humano ludere corio imperitum Medicorum vulgus, quod vera rationalis medicæ ſcientiæ requiſita ignorat & ad iudicandum de morborum cauſis & remediorum effectibus plane eſt ineptum, non adeo mirandum, ſed id utique cenſura dignum, quod inter Medicos etiam hodienum plurimi dentur docti atque in reliquis partibus medicinæ phyſica, anatomica, phyſiologica, botanica & materiæ medicæ ſcientia probe inſtructi, qui tamen veræ therapiæ fundamenta non recte perſpecta tenent, eoque inducuntur, ut ſpecifica contra morbos arcana credant, ac vel iis conquirendis avide inhient, vel ipſi glorioſe talia iactitent, parum ceterum ſoliciti de morbi cauſa & corporis ægrotantis natura, de modo agendi & quo pacto morborum cauſæ oppugnandæ & removendæ. Deterioris adhuc conditionis his ſunt illi ſic dicti medicinæ Practici, a rationalibus & veris Medicis longe diſtincti, qui ipſi conſilii & iudicii inopes, ex libris & manuſcriptis practicis tantum ſapiunt, vel collecta formularum ſarcina opulenti ad artis exercitium accedunt, oblato poſtea ægrotante primum ex ſupellectili promunt remedium, hoc irrito, alterum, poſt alterum tertium, eo usque, donec æger vel forte fortuna convaleſcat, vel medicationis ſterilis pertæſus

ſus peritiorem in conſilium aſciſcat, vel etiam interea methodice trucidetur.

§. VI.

Hac utique crebra medicamentorum mutatione, ad ſalutem nihil peſtilentius, ad crumenas ægrotantium emulgendas nihil commodius, hæc apertius prodit ignorantiam veræ pathologiæ & luculento indicio eſt, latere non modo eiusmodi Practicum veras morborum cauſas, quæ in uno ſubiecto non tam ſunt multiplices, ſed & fugere ipſum efficaciam ac veras vires remediorum, quibus morborum cauſæ corrigendæ & tollendæ. Interim quia ægrotantes, tam qui plebeiæ, quam qui nobilioris ſortis ſunt, rationalem & peritum Medicum, ab imperito & uti modo delineavimus Practico, diſcernere nequeunt, peſſime ſæpe de ipſorum luditur corio ipſique graves ſubinde huius adeo frequentis inter medicinam exercentes ignorantiæ pœnas luere debent, ſi vero demum evadunt eiusmodi medicationem, verum eſſe HIPPOCRATIS effatum deprehendunt *lib. de vet. medic.* perhibentis: *ut aliarum artium cunctarum opifices plurimum inter ſe differunt; ſic etiam in medica evenit arte. Nam inter medicos ſunt alii mali, alii vero multum præſtantes.*

§. VII.

Sed mittemus iam quotidiana illa & cuivis obvia damna, quæ ab idiotarum, agyrtarum, circulatorum ac eiusmodi impoſtorum putidis mendaciis & temerariis moliminibus, morbos augendo, exacerbando ipſamque mortem accerſendo, inferuntur; ac potius id inpræſentiarum agemus, ut clare evictum demus, ipſos Medicos, nomine & fama ſæpe claros, multum ſubinde in artis exercitio delinquere, tanto vero magis a Practicis imperitioribus morbos graviores reddi

di mortemque induci, quando in perſpicienda vera morbi & ſymptomatum cauſa errant & veras quoque remediorum vires & efficaciam ad vincendam morbi cauſam, ignorant. Et ſic demum omnibus quam clariſſime patebit, medicam praxin, rem non tam facilem & expeditam eſſe, uti vulgo putatur, ſed præter multarum ipſi ſervientium rerum ſcientiam, exquiſitum iudicium magnamque poſtulare peritiam, quorum omnium ea amplitudo isque ambitus, ut Medico per omnem ætatis flexum ſint excolenda, ſemperque aliquid, quod in uſum ſuum convertere poſſit, ſuperſit. Hoc igitur erit diſſertationis huius argumentum, penitius a nobis evolvendum; quod ut feliciter cedat, divinam quo animat labori clementiam, ſupplices devote rogamus.

§. IIX.

Novimus quidem, Dn. PRÆSIDEM paſſim jam in ſcriptis ſuis idem hoc argumentum attigiſſe, & maxime quidem binis diſſertationibus, *de differentia Medici & Medicinæ Practici*, nec non *de imprudenti medicatione multorum morborum cauſa*, & rationibus, & exemplis, uberius hæc expoſuiſſe. Interim tamen, quia nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur, & damna hæc omnium præſtantiſſimum, vitam hominis, attingunt, ac plerumque irreparabilia ſunt; neceſſarium utique eſt, ut ſerio iisdem occurratur ac iterato imminens periculum inculcetur. Deinceps quum Medicina non tantum ſalubrium, verum etiam inſalubrium & nocentium ſit ſcientia; eo minus a medico ſcopo aliena hæc erit diſquiſitio, quo frequentior a perverſa medicatione noxa & quo magis ad auſpicatum artis exercitium confert, ut alieno periculo ſapiamus PLAVTIque effato *Triv. Act. I. ſcen.* 2. mala nota res optimas habeamus. Recentebimus hinc iterum ex multis novas quasdam notatu dignas obſervationes, de ægris ab ipſis medentibus

bus gravi damno, quin morte affectis, simulque causas eruemus, propter quas pernicies inducta, ne imposterum in eodem quispiam impingat.

§. IX.

Initium faciemus de insigni noxa, quæ ex inconsulto & præpostero eorum usu, quæ ventriculum utrumque, tam majorem, quam minorem, quo nomine duodenum insignimus, vitiosorum humorum illuvie deplent atque exinaniunt, præsertim si fuerint prosapiæ antimonialis, resultant. Hanc per superiora evacuationem non sine inverso, tam stomachi, quam duodeni peristaltico motu, & convulsiva quadam harum partium contractione fieri posse, inter omnes constat, quod si vero paullo pensiculatius causas, quæ eandem provocant inquirere lubet, varii eas generis esse inveniemus. Vel enim a mole, seu saburra humorum vitiosorum, præsertim acido-viscidorum, in his latibulis hærentium, vel a subtili acrimonia humoris caustica tunicis ventriculi inhærente, vel etiam a solo vitioso motu partium nervosarum, ventriculi & duodeni nervoso-musculosa systole & diastole gaudens machina ad inversionem, contenta cum violentia expellentem, exstimulatur. Jam facile quisque ex sagacioribus Medicis perspiciet, si causam nauseæ & conatus ad vomendum humores mole & vitio peccantes præbent, salutarem quam maxime esse horum per vomitum excretionem, quam, si natura paullo languidior est, sublevare utique & adjuvare per idoneum emeticum oportet. Contra vero quando dispositio ad motum harum partium inversum & molimen vomitorium ab exigua quidem, sed causticæ & virulentæ indolis materia, eaque intra tunicas ventriculi hærente, vel a solo animi perverso motu, vel a consensu partium nervosarum ex spasmo evenit, plane nullum locum habere,

bere, ſed potius perniciosiſſima eſſe, quæ penetranti & valentiori ſtimulo, ut ſtibiata ſolent, ventriculum & totum ſyſtema nervoſarum partium graviter afficiunt atque exagitant, ut triſtiſſima etiam mortis exempla inde in promtu habeamus.

§. X.

Licebit proinde ex multis quædam tantummodo memoratu digna exemplia enumerare, quæ aliis, quam maxime in meliorem cautionem, cum deliberatione & prudentia exhibendi emetica inſervire poterunt. Vir circiter quinquagenarius, ſanus & integer viribus, graviſſima correptus ira, ac tremore, horrore & frigore extremorum, cum ingenti præcordiorum anxietate virium que dejectione mox tentabatur & ſequentem noctem inſomnem, perſiſtentibus adhuc hiſce ſymptomatibus, tranſigebat, continuam percipiebat nauſeam & ad vomendum diſpoſitionem atque conatum, unacum labiorum tremore & oris amaritie. His ſymptomatibus jactatus importune flagitabat a Medico vomitorium, qui dare illud primum renuebat, victus tamen continuis precibus, porrigebat, ſed quia ſumto pharmaco cum ſumma difficultate & anxietate bis, vel ter tantum, pauca mucoſa & bilioſa vomebat, ad meliorem operationem efficiendam, aliam poſcebat doſin, quæ ipſi etiam conceſſa. Hinc non ita multo poſt in deterius verſa omnia, aderant quidem continui ſingultuoſi ructus, ſed nullæ rejectiones humoris, affligebat præterea ſumma inquietudo, oppreſſio, ſpiritus gravis, intolerabilis ardens & anxius dolor in epigaſtrio, unacum extremorum refrigeratione, pulſu parvo & nonnihil intermittente. Petitum demum a Dn. PRÆSIDE auxilium, qui accedens, ægrum extrema fere agentem invenit, eo quod vehementia ſpaſmorum omnes fere corporis nervoſus ſenſui & motui vacantes partes

tes occuparat. Et quum hic secum perpenderet, a sumto veneno arsenicali eadem suborta symptomata largiori potu lactis & olei cujusdam expressi, v. g. amygdalini, felicissime sæpe sublata & hominem ex mortis faucibus ereptum, pariter lac bubulum temperate calidum successive, at copiose, ebibendum suasit. Inde insigniter quidem atrocia hæc symptomata conquiescere & remittere per noctem videbantur, sed subsequenti mane ipse patiens, sine Medici præscitu, unciam unam salis Ebshamensis ad aperiendam quæ firmiter clausa alvum flatusque & anxietates tollendas sumsit, quo priora symptomata & majori adhuc atrocia reversa, ut assumtis licet analepticis, antispasmodicis, animam, intra tertium a sumto primo emetico diem, efflaverit.

§. XI.

Est certe allata hæc historia vel hanc ob caussam memoratu digna, ut quisque Medicorum inde discat, innocens alias emeticum stibiatum, moderatiori dosi, uti tartarus emeticus, ad grana duo datum, pro certa dispositione spasmodica, nempe ventriculi & partium nervosarum, veri veneni vim habere & lethalem effectum exserere posse. Qua de causa quisque circumspectior Medicus, non tam facilis ad dandum emeticum esse debet, nisi prius probe corporis ægrotantis natura, ventriculi dispositione & causa urgente ejusmodi remedium, perspecta. Deinceps illa quoque utilissima cautio ex funesto hoc casu elicienda: salia neutra eaque amaricantia, ut sal Egranum, Ebshamense, Sedlicense, ad deducendos efficaciter & sine molestia per alvum vitiosos humores egregia, tali in casu, ubi primæ viæ spasticis stricturis tenentur, neutiquam posse habere locum, adeo ut præsentissimam etiam hoc modo & hac ratione possint noxam inferre.

§. XII.

De eodem hoc incongruo & lethali emeticorum usu, ob Medici errorem, falso causam morbi dijudicantis, digna notatu hæc est historia, quo inde Medici in inquirendis causis circumspectiores esse discant. Generosa erat puella, annos habens quindecim, tenerioris admodum ratione corporis constitutionis, sedati etiam valde & compositi animi, quæ nondum passa mensium profluvium, per aliquot hebdomades male habuerat & ingenti pressa fuerat languore, qui vires dejecerat, ad animi fere usque defectionem, unacum anxio quodam circa præcordia sensu, quem Germani dicunt, das Ubelseyn, defecerat præterea ciborum appetentia & pauco sumto cibo, non tantum compressionem, sive pressorium dolorem in epigastrii regione senserat, verum etiam eructationem nauseosam & vomibundam, urgente simul tussi sicca, alvo clausa & pauco somno. Medicus consultus firmiter sibi persuadebat, contradicente licet matre, caussam horum malorum esse pituitam tenacem, copiose ventriculo inhærescentem, quæ vomitu sit ejicienda, eamque excretionem ac viam quoque ipsam commonstrare naturam. Annuit tandem mater assumtumque emeticum, nescio quod, quo puella ingentem pituitæ viscidæ copiam multumque liquaminis pituitosi quidem ejecit, sed tantum ab eo virium sensit decrementum, ut quum erecta in statura esset, mox animo linqueretur, respuit simul omnem medicinam & cibum, eoquod anxius dolor inde augeretur, & tertio a sumto pharmaco die placide exspiravit.

§. XIII.

Medicus in hoc casu ad menses, qui sub hæc ætatis periodo erumpere solent, neutiquam respexit, & quod a sanguine per uteri ostiola liberum exitum non inveniente, sed refluente ad superiora, præsertim ventriculum,

lum, illa ſymptomata, quibuscum conflictata fuit virgo, originem ſuam traxerint. Hoc enim ſi incidit, emetica omni modo evitare expedit, ne impetuoſiori concitato ſanguinis ad venas ſtomachi affluxu, vel ipſæ ruptæ cruentum cieant vomitum, vel ſanguis, præſertim impurus, ibi incarceratus, lethalem ſphacelum producat, maxime in tenerioribus, delicatis & ſenſibilioribus naturis. Vidimus quidem, emetica purgantibus in pilulari forma admixta, in habitioribus & plebejis, ubi menſes retardati fuerunt, non ſine fructu data, ſed tamen ubi nondum fluxerunt, vel per uteri vias exitum invenerunt, aliter longe procedendum & hæc medendi ratio neutiquam locum invenit.

§. XIV.

Pari ratione periculoſum eſt, vomitoriam propinare medicinam, quando ventriculus citra materiam ibi inhærentem peccantem, ſolo motu per conſenſum & actu quodam, quaſi immateriali, ad faſtidium & vomendum lacesſitur. Meminit Dn. PRAESES feminæ, quæ poſt annum quinquageſimum, quo ordinario menſium finis eſſe ſolet, propter congeſtionem ſanguinis circa venas & vaſa majora in lumbis, & ob urinam ſecedentem ſabuloſam, quæ exquiſite ſentientem ureterum ſubſtantiam arrodere & irritare ſolet, dolores preſſorios in ventriculi regione usque ad dorſum pertingentes, cum nauſea & ſtimulo ad vomitum ſubinde, præſertim noctu, patiebatur, ſanguine nimium a ſitu in dorſo incaleſcento. Medicus huius ſymptomatis cauſam eſſe cenſebat cruditates in ſtomacho & ſuadebat mixturam, quæ grana duo tartari emetici habebat, qua quidem vomuit multa cruda & pituitoſa, ab eo vero tempore id conſequutum eſt, ut graviſſimi cardialgici dolores, ſive vehementes ſpaſmi præcordialem regionem per intervalla & ſæpius tenuerint, quotiescunque vel dolor circa re-

nes ſuſcitaretur & ſabuloſa urina ſecederet, vel cibus difficilioris ſolutionis, aut flatulentus aſſumeretur, vel femina leviter ira commoveretur. Nam mira eſt conſenſio renum, ſeu potius uretherum, cum ipſo ſtomacho, propter communem, valde nervoſam harum partium texturam; quo etiam fit, ut quod quotidianæ obſervationis, a calculo firmius & diutius uretheri impacto, nulla cibi ſit appetentia, ſed continua nauſea, ructatio & ad vomendum diſpoſitio, cum ſumma moleſtia.

§. XV.

Neque minus crebriori experientiæ ſuffragio conſtat, quod ubi genus nervoſum in quadam parte, etiam remota, in morbis patitur, ventriculus non modo inde afficiatur, ſed & ipſa emetica & purgantia illum plus debilitent ejusque functionem lædant; id quod etiam ſequens hiſtoria uberius confirmat. Novimus feminam ſeptuaginta annorum, quæ poſt refrigeratum nimis tempore hiemali corpus, in vertiginem incidebat, quam brevi poſt inſultus ſequebatur apoplecticus, convulſivis colli motibus ſtipatus. Venæſectione in pede & antapoplecticis refocillata, conatum experiebatur ad vomitum, & aſſumto calido iuſculo, multum etiam pituitæ viſcidæ eructavit. Medicus igitur cauſam huius inſultus in ventriculo deliteſcere ratus, ad hanc noviqne paroxyſmi recurſum præſcindendum, poſtquam ægra noctu bene dormiiſſet, ſequenti mane porrexit emeticum, ex granis XX. radicis hypecuanhæ & grano uno tartari emetici, quo tres provocati vomitus cum maximis cruciatibus & anguſtiis, paullo vero poſt novus acceſſit inſultus apoplecticus, cum intumeſcentia & magno circa oculum tumore, difficillima reſpiratione & ſtertore, donec poſt duodecim horas ægra animam efflaret, effluente poſt mortem ex naribus, auribus

ribus & oculis ingenti seri putridi copia. Perperam oblatum esse huic apoplexia tactæ vomitorium merito iudicandum; quandoquidem in ventriculo nec vomitus, nec apoplexiæ fuit causa, sed is potius fuit symptomaticus. Notum enim est, in omnibus capitis & nervorum, etiam a causa externa, morbis, stomachum in consensum trahi & ad vomendum adesse inclinationem, eaque propter sistendos potius esse hos spasmos, quam promovendos & intendendos. Compertum quoque ex pathologicis est, apoplecticum insultum a sanguinis & humorum congestione ad caput, ob spasmos inferiorum partium oboriri, quumque hæc congestio sub vomitu augeatur, patet utique, novo insultui per emeticum ansam fuisse suppeditatam.

§. XVI.

Porro securus quidem emeticorum usus est in febribus, si prima regio sordium sentina scatet ac remissionis tempore evacuatio instituitur; sed quando sub ipso paroxysmi cum frigore accessu, quo ventriculus & partes nervosæ spasmo afficiuntur propinantur & corpus præterea commotum ira, quam semper spasticæ circa ventriculum comitantur stricturæ & qua totum nervorum systema præter naturam afficitur, veneni naturam & virtutem induunt. Confirmatum id habemus memorabili exemplo feminæ viginti & quod excurrit annorum, ad iram admodum pronæ. Hæc quippe iracundiæ affectu percita, refrigerato simul corpore cibisque pravæ materiæ ingestis, incidit in tertianam, gravibus symptomatibus, horrore, rigore, stimulo ad tussim ac vomitum, nec non anxietate stipatam. Instante tertio paroxysmo, paullo ante ipsius accessionem, a Chirurgo tria tartari emetici sumsit grana, sed adeo exasperata inde symptomata, cum extremorum frigore,

gore, horrore, rigore, vomitu alvique deiectione, ut lethalem adesse catastrophem putarent omnes, subsequente tamen æstu, atrocia remisit sensimque conquievit febris impetus. Interim remansit virium prostratio insignis, & redeunte nova accessione, eadem symptomata eadem reversa sunt vehementia, licet nullam plane interea assumserit medicinam, & plus quam decies vomuit totiesque etiam alvus secessit. Repetente æstu, iterum remiserunt symptomata, sed magis quam antea languit nihilque cibi vacuo die assumere potuit ægra, ac insultante vehementiori adhuc quam antea unquam paroxysmo, ob virium defectionem in lipothymiam incidit, cum sudore frigido, pulsu parvo & inæquali perpetuoque ad vomendum conatu, mens quoque emota ac demum mors successit, halitu ex ore reddito frigidissimo. Licet igitur ea motuum spasticorum sit ratio, ut ab impetu ad tempus remittant ac postea iterum repetant; sumto tamen in paroxysmo emetico & introducto per illud peiore in nervorum & nervosarum partium systema ad spasmos dispositione, non mirandum, insigniter increvisse motuum febrilium vehementiam & iunctas febrium insultui vomitiones & alvi deiectiones adeo fuisse adauctas.

§. XVII.

Luculenta porro de noxa emeticorum præpostere datorum hæc est observatio. Generosa quædam femina sexaginta & quod excessit annorum, sanguinea, ob diuturnum mariti morbum ipsiusque obitum gravi & longo afflicta fuit mœrore & ab aliquot hebdomadibus multum conquesta de summo languore virium, de tensivo circa hypochondrium sinistrum dolore, nec non de ardore sub cordis scrobiculo. Alvus simul erat valde

valde adstricta, noctes insomnes, appetentia deiecta, omnia cum nausea & fastidio ingerebat, neque propter impensam debilitatem lectum relinquere poterat per integrum mensem. Secta fuerat vena in pede, data analeptica temperata, quia calida ferre non poterat, alvus per clysteres aperta, liquor anodynus & pulveres temperantes nitrosi propinati, sed eo usque incassum. Visitabat autem interea ægram alius quispiam Medicus, qui primum Medicum malum non intelligere & ventriculum saburra vitiosa obsessum penitus esse asseruit, simulque se brevi tempore ægram sanaturum esse confidenter pollicitus est. Obtulit hinc postera die pharmacum, quo sumto mox eiecit miram cruoris nigri quantitatem, ita, ut sex vomitibus plusquam sex libræ eructarentur, videbatur etiam ægra a vomitu melius se habere, sed mox in tam grave animi incidit deliquium, ut paucis post horis obdormisceret. Femina hæc, omni dubio procul cahectica, viscera, præsertim lienem, hepar, sanguine infarcta habuit, vasaque ventriculi cruore turgida. Id enim post impensiorem luctum ac diuturnum mœrorem sæpe evenire solet in feminis maxime debilibus & ætate gravibus, ut lenta gliscere videatur febris & quasi hectica, cum dolore circa hypochondrium sinistrum, languore & inappetentia. Licet igitur hæc femina ab interitu vindicari non potuisset, Medicus tamen mortem ex errore acceleravit, quia mali causam in ventriculo hærere iudicans, vomitus elicuit, quibus vasa stomachi brevia rupta & cruor tam copiosus per os egestus, cum lethali lipothymia.

§. XVIII.

De cruenta vomitione quoniam iam facta est mentio: incidit in memoriam observatione non indignus casus, de femina idemtidem generosa, vix XXII. ætatis

tis annum egressa, tenerioris & sensibilioris constitutionis, a matre hysterica prognata & ipsa hystericis passionibus obnoxia alvique adstrictioris. Laborarat hæc duobus abhinc annis tertiana, quæ a Medico, quibus nescio, abacta fuerat quidem, sed languerat ex eo ciborum appetentia, ægra male semper habuerat mensesque per tres menses restitarant. Primus in consilium vocatus Medicus gravidam ipsam esse iudicabat, quod tamen plane ipsa negabat; alter vero extraneus Medicus ad menses emovendos misit elixirium quoddam aloeticum, succinatum, amarum, cum oleo sabinæ mixtum, quod ter quotidie ad gtt. XXX. sumsit, a quo tamen aucta circa præcordia anxietas & ardor cum virium languore. Accersitur hinc Dn. PRÆSES, ædesque intrans obvium habuit in hypocausti limine maritum, phialam argenteam liquamine instar loturæ carnis, innatantibus atris grumis, repletam, quod vomitu reiecerat ægra, manu gerentem, & lecto postea assidens, iterato ægram maiorem grumosi & corrupti cruoris quantitatem eructare vidit, donec accedentibus lipothymiis pulsuque facto inæquali, viginti quatuor post horas, mors vitæ faceret finem. Scilicet sæpe accidit, ut post febrem, præsertim male curatam, mensium subsistat fluxus, & regurgitante ab utero ad ventriculum, lienem & hepar sanguine, eiusmodi quam quæ meminimus ingruant pathemata. Sed hoc ubi contingit, perniciosum maxime est emmenagoga calida offerre, eo quod sanguinem exagitant eidemque orgasmum & turgescentiam inducunt, qua facile ventriculi venæ demum rumpuntur.

§. XIX.

Præter emetica in heroicorum numero quoque est venæsectio, cuius imprudentem administrationem, pariter multum detrimenti attulisse, compertum habemus

mus. Vir erat triginta & aliquot annorum, constitutionis admodum teneræ, hypochondriacis symptomatibus a primi iuventute obnoxius, maximeque ventriculi inflationibus cardialgicis & asthmaticis divexatus. Hic tempore hiemali, post intensiorem corporis refrigerationem, pessime se habuit summoque affectus est languore, & subito quodam ita afflictus dolore, ut per tres fere hebdomades somno plane caruerit, appetentia simul pereunte & corpore contabescente. Medicus currente Martio mense, quo ægro antea sanguinis missio semper solennis fuerat, eandem iterum suasit & aliquot uncias extraxit, sed longe alio quam sperarat effectu, ægro scilicet altero statim die post placide exspirante. Ex funesto hoc eventu nemo non videt, summe perniciosam esse sanguinis missionem, ubi vires penitus ob inopiam succorum & sanguinis exhaustæ, in causario iam & debilitato corpore, & tum potius analeptica, diætetica & pharmaceutica, vires & succos roscidos restaurantia, ex usu esse. Et quamvis æger hic in Martio sanguinem mittere suetus, perperam tamen Medicus tempori adstrictum esse hoc auxilium iudicavit, eo quod venæsectio non propter tempus iuvat, sed quia circa hoc, sanguis calidiori aëre facto, maius spatium affectat seseque expandit, ac venis eodem nimium oppletis periculum minatur.

§. XX.

Idem fere contigit viro macilentæ & cholericæ constitutionis, qui ex hæreditaria quadam & nativa dispositione pulmonum aluit vitium ac præterea ob nimias lucubrationes vitamque nimis sedentariam variasque animi ex ira commotiones, corporis & stomachi sibi contraxit imbecillitatem. Hic ab aliquot iam annis magnam pituitæ viscidæ copiam sereatu eiecerat, hæcque eiectio mirum demum copia increvit & per duos

fere menſes cum lenta febre, ſpirandi difficultate viriumque iactura, nec non exquiſito ſub urinæ emiſſione ardore, duravit. Tum quidem æger emulſionibus, iuſculis medicatis & decoctis demulcentibus, interpoſitis clementer alvum laxantibus, cum ſanitate in gratiam rediit; exacto vero circiter anno, eidem malo denuo implicitus eſt. Alium igitur in conſilium adſcivit Medicum, qui licet ſemper adfuiſſet anxia reſpiratio, tuſſim tamen non phthiſicam, ſed ex ſtomacho æſtuante & hypochondriacum ſymptoma eſſe iudicavit, putavitque, ceſſatura omnia, ſi tempeſtivus prodiret hæmorrhoidum fluxus. Variis demum incaſum adhibitis, de vena ſecanda conſilium dedit, floridumque e pede extraxit ſanguinem. Sed eodem adhuc die, veſperi ægrum horror per univerſum corpus inceſſit, ſubſequente intenſo æſtu, nocte inſomni, virium iactura gravi & perfecta acceſſit hectica.

§. XXI.

Eadem ratione quam in priori caſu factum, Medicum alium in pernoſcenda vera cauſa morbi aberrare vidimus in generoſo quodam viro, quinquagenario maiore. Solenne huic erat, ut verneli & autumnali tempore podagræ experiretur inſultum, cum febre catarrhali, appetentiæ defectu, torminibus ventris, doloribusque dorſi accedentem, ita ut his tres vel quatuor dies affligentibus, dolor poſtea & tumor in maioribus utriusque pedis digitis prodiret. Licet autem nunquam hæmorrhoidum fluxum habuiſſet, Medicus tamen hypotheſi addictus, quaſi omnis podagra a defectu hæmorrhoidum ortum traheret, autumnali tempore, quo podagra impetere ſolebat, paullo ante ſuetam periodum, venæſectionem inſtituit, ſed paucos poſt dies atrocia tormina & dolores preſſorii in latere ſiniſtro, cum appetitu proſtrato invaſerunt acceſſitque febricula circa

tertium

tertium diem auctior facta. Erant qui morbum colicam esse asseverabant, sed a carminativis internis & externis exacerbabatur; alii febrem vocabant, Dn. PRÆSES vero quum dolores subito sæpe in digitum pedis transire exaudiret, subesse materiam arthritico-podagricam intus retentam iudicavit, quæ symptomata suscitet, febrem autem catarrhali similem, a refrigeratione corporis post venæsectionem, ortum ducere. Suasit hinc liquorem anodynum mineralem, essentiæ scordii nuptum, cum aliquot granis extracti croci & guttis aliquot olei fœniculi, exhibuit quoque pulverem bezoardico-nitrosum, cum infuso theiformi ex veronica, scordio & liquiritia, quietem & decubitum in lecto iniunxit ægro ac ut pediluviis uteretur. Ita demum comparuerunt dolores in pedibus & per aliquot hebdomades perstiterunt, cessantibus penitus internis passionibus. Primus Medicus ulterius quidem urgebat, adhuc ob hæmorrhoidale negotium venam esse secadam, sed æger damno sapiens constanter renuit, & recte quidem, quum ipse non esset plethoricus, sed ad cachecticum magis affectum inclinaret, neque dubium est, quin si iterata sanguinis missione naturæ subtracta fuisset energia materiam nervis inimicam internis partibus altius infixam, ad exteriora pellendi, infelix subsequuturus fuisset eventus.

§. XXII.

Multa certe nobis nota sunt exempla, ubi instante podagrico morbo, obortis torminibus in ventre & spastico dorsi dolore, affectus, præsertim in plethorico corpore, pro sanguinea, sive hæmorrhoidali colica fuit habitus, & ad provocandum fluxum iterato venæsectio administrata, oblata carminativa & pilulæ balsamicæ polychrestæ; quibus tamen nihil aliud effectum, quam ut dolores tensivi in abdomine, inflationes & anxietates

mirum adauctæ, propinatis vero diaphoreticis fixioribus & mineralis prosapiæ, mox conquieverunt omnia, simulac rubor ac tumor in extremis pedum prodiit. Sæpius tamen eiusmodi intus latitans arthritica acris materia medentibus imponit, ut omnia alia subesse putent, ac, ut subinde vidimus, oborto hinc asthmate convulsivo, tumore pedum oedematoso abdominisque inflatione stipato, hydropem præscindere velint & fortiora purgantia, ex gummi guttæ, extracto esulæ aliisque offerant, invalescente inde malo, tumore increscente, anxietate adaucta, inquietudine, inappetentia, quin morte subsequente, quum alii, asthmate ex hac causa laborantes, potu thermarum Carolinarum tempestivo, facile convalescant, propulsa ad extrema ab interioribus perniciosa materia.

§. XXIII.

Ita vero est, ex speciali observatione, universalem formant inductionem plurimi medentum, alii ex sola plethora, alii ex sola scorbutica succorum dyscrasia, morborum originis petunt, quum tamen plures sint morborum causæ, de quibus singulis, obveniente uno morbo, Medico cogitandum, quo accommodam inveniat & instituat medendi rationem. Qui secus procedit, non potest non falli & errare, uti quidem hæc etiam testatur observatio. Degit in vicina urbe generosus quidam vir, ætate quadragenarius, floridæ faciei, aulicæ vitæ addictus & lautiori victui ac vini generosioris potui assuetus. Is currente autumno, in vehementem in regione lumbari dolorem, qui ad coxas & genua porrigebatur, noctuque maxime ingravescens, somnum impediebat atque quietem. Implorabat opem Medici, qui affectum esse arthritico-scorbuticum & originem ex acri & scorbutica humorum dyscrasia trahere ſategit, decocta antiscorbutica & sanguinem repurgan-

tia

tia ex radicibus & lignis ad ſudorem mane eliciendum porrexit, pilulisque ex mercurio dulci, reſina ialappæ, gummi ammoniaco extractoque panchymagogo Crollii, viſcidos & tenaces humores per alvum exturbare contendit. Sed tantum abfuit, ut quicquam levaminis attulerit, ut potius dolores perſeverarint in affecta non modo parte, ſed & caput, collum manuumque articulos adhuc infeſtarint, cum notabili virium decremento. Alius itaque morbi artifex advocatus, qui curam per inediam, (die Hunger-Cur) ceu probatiſſimum præſidium in ſcorbuticis & arthriticis eiusmodi affectionibus, mire commendavit, tertius vero accitus, hanc improbavit, & thermarum Teplicenſium uſum unice proficuum fore edixit. Demum ad Dn. PRÆSIDEM res delata, qui de omnibus certior factus, iudicavit, mali, quod iam per aliquot menſes ægrum miſere torſerat, cauſam, neque in humorum tenacitate, neque ſcorbutica quadam acrimonia, eſſe quærendam, ſed potius in abundantia ſanguinis, eiusdemque non modo ſtagnatione, in vaſis meſaraicis, ſed & lentiori circuitu per iliaca, ac ſecedente ob moram hanc ſeroſa parte atque ad articulationes oſſis coxendicis deſcendente, fieri. Iuſſit igitur, ut, quam priores Medici neglexerant, venæſectio in pede, adornaretur, qua depletis canalibus per ilia excurrentibus, dolor in parte affecta ipſoque capite remiſit ægerque inſequenti nocte melius dormivit. Ex medicamentis vero uſurpata mixtura ex aqua florum ſambuci, rob ſambuci, antimonio diaphoretico & nitro, cum liquore anodyno minerali, nec non pulvis bezoardicus, ſulphure antimonii correcto maritatus & potui data ptiſana. Et quum pulſus validus ac venæ tumidæ eſſent, ſanguinem exundare adhuc coniecit, eaque propter iteratam venæ ſectionem tam ſalutari effectu inſtituit, ut æger priſtinam intra menſem perfecte recuperet ſanitatem.

§. XXIV.

§. XXIV.

Eandem in rem apprime facit hic casus. Laborabat ante annum illustrissimus Comes impensis abdominis cruciatibus, qui ad vesicam & genitalia propagabantur, ac non modo lumbos, sed & ilia infestabant, aderat continuus ad mingendum stimulus, urina vero difficulter reddebatur, interdum tenuis, interdum rufa, quandoque sabulum ponens. Pugnabat contra hæc pathemata Medicus ordinarius carminativis & discutientibus, nec non diureticis ad calculum cum urina pellendum, sed invalescebant inde magis symptomata. Quum vero Dn. PRÆSES in consilium vocaretur, omissam ab Ordinario venæsectionem cumprimis necessariam esse edixit eamque in pede instituendam curavit, tam præsentaneo salutari effectu, ut illico æger notabile continui doloris perciperet levamentum. Adhibita præterea essentia corticum aurantiorum, liquori anodyno nupta, nec non pulvis præcipitans nitrosus, ac demum Carolinis internis & Teplicensibus exterius usurpatis, disparuit omnis dolor, nec postea rediit.

§. XXV.

Patet igitur plethoricum statum, præsertim in spongioso corpore, sub lauto & vinoso victu, circa ætatem virilem, insignem morbos eosque graves inferendi vim habere, nisi tempestive, vel per sanguinis missionem, vel per abstinentiam, aut aquarum mineralium usum, Medicus eosdem avertat, vel ipsa natura per salubres superflui sanguinis per sedis venas diminutiones sese levet. Licet autem longæ hinc oriundæ ægritudines potissimum doloribus in intestinis viisque urinariis contineantur; neutiquam tamen, nec nephritici, nec ischiatici, aut colici dolores, semper a sanguinis mole exundante, sed sæpius a sero impuro turtareo, vel scorbutica humorum impuritate, incunabula trahunt.

Hinc

Hinc perperam Medici horum affectuum curationes moliuntur per repetitas venarum in pedibus sectiones, per crebriorem usum pilularum ex aloë & gummatibus resinosis extractisque amaris, atque adeo frustra hæmorrhoidum elicere nituntur fluxum, qui nunquam adfuit, neque per vias minus dispositas exitum habere potest. Vidimus certe gravia & diuturna mala hac medendi ratione inducta, dum intercepta per crebriorem sanguinis missionem sordium per cutis poros excretione, sanguis impuris scorbuticis salibus conspurcatus, ad partes in pelvi sitas, vesicam & rectum intestinum allectus, intolerandos dolores in regione pubis, cum continuo ad meiendum & desidendum stimulo, urinæ difficili mictu, vel plane retentione, stipatos creavit. Quin occurrunt exempla, hac medendi ratione, inflammationes, exulcerationes & sphacelationes vesicæ & adjacentium partium lethales, fuisse productas.

§. XXVI.

Potissimum dolor ille intestinorum acerbissimus & per intervalla affligens, cum extremorum frigore summaque virium dejectione, sæpissime exercet scorbuticos, suamque trahit originem a sero acri impuro, quod alias naturæ beneficio ad summam cutim sub forma exanthematis ablegatur, ac purpura dicitur. Quod si enim cuticularis hæc excretio, vel frigore, vel alia causa intercipitur, inquinatus & salsus hic humor ad intestinorum tunicas, nec non vesicæ membranas, admodum nervosæ & sensibilis texturæ, recedit, iisdemque sese insinuans, acutum in abdomine dolorem & enormem simul dysuriam, qua urina difficillime & cum summo ardore ac dolore exprimitur, ingignit. Quam gravia damna sic laborantibus intulerint, qui molimina hæmorrhoidalia subesse rati, unico venæsectionis in pede, hirudinum aliorumque huc facientium usu medicationem aggressi, pluribus quidem confirmatum habemus exemplis, quæ tamen cum circumstantiis enar-

rare ſtudio prætermittimus. Id tamen in genere aſſeverare licet, ſopitum quidem ſubtracto ſanguine, eſſe doloris ad tempus ſenſum, ſed brevi poſt majori recruduiſſe atrocia, quin, quum ob crebram ſanguinis depletionem, impulſus materiæ perniciosæ ad exteriora magis fuerit cohibitus, in humoribus vero impuritas ſalſa ſcorbutica magis adaucta, quandoque funeſtus plane eſt ſubſequutus eventus.

§. XXVII.

Non minus cenſura digni ſunt illi medentum, qui ſymptomata, neglecta morbi cauſa, oppugnant, & quando a ſolo motu per conſenſum vitiato oboriuntur illa, cauſſam eorundem materialem quærunt falſasque ſibi formant medendi indicationes, in cujus confirmationem hanc adjicimus hiſtoriam. Femina ſpongioſioris & ſanguine turgidi corporis habitus, ſuperato quinquageſimo ætatis anno ſubinde media nocte gravem dolorem preſſorium ex dorſo ad ſcrobiculum cordis excurrentem, cum ſumma anxietate, extremorum frigore & languore virium patiebatur, qui poſt quinque vel ſex horas ſponte iterum evaneſcebat, tertia vero, vel quarta quavis nocte iterum repetebat. Quum igitur ob victum lautum, vitam ſedentariam ac ceſſans menſium profluvium, ſanguis & humores nimium redundarent, idque ſi non cauſam, effectum tamen ipſa cauſa deteriorem præſtare poſſet, e pedis vena ſanguinem detrahi juſſimus, quo facto, exſpiravit hic dolorifico-ſpaſmodicus affectus ac per menſem & quod excurrit ſiluit, poſtea vero recruduit & non interrupta ſerie, non quidem interdiu, ſed noctu, afflixit. Stipabatur tamen longe aliis quam antea ſymptomatibus, continuo ſcilicet vomendi conatu, eructationibus & dolore, qui in regione lumbari incipiens, omnem abdominis regionem cum torminibus occupabat, aderat quoque icterico faciei color. Medicus alius cauſam horum pathematum

rum esse impeditum sanguinis per hepar infarctum, vel obstructum, cursum, autumans, elixiria & extracta amara, nec non salia aperitiva neutra & alcalia, pilulas etiam Beccherianas frequentius obtulit, sed sæpius inde & sævior rediit affectus, appetentia penitus destructa, color ictericius intensior factus, vires quoque magis fractæ. Demum Dn. PRÆSES non modo in, sed & extra paroxysmum liquoris anodyni usum suasit, cum pulvere præcipitante nitroso, ter intra diem & noctem ex aqua menthæ & cerasorum nigrorum sumendum, quo etiam feliciter evanuere dolores cum vomitionibus, & urina prodiit rufa sabulumque crassum cum concrementis calculosis dimisit, disparente sensim flavescente faciei colore, licet postea ægra sæpius iisdem adhuc pathematibus fuerit attentata, quæ tamen urina secedente sabulosa iisdemque remediis semper iterum conquieverunt. Scilicet ventriculi spasmus, sive dolor cardialgicus, nec non ictericius color, non modo a calculo & obstructione in receptaculis biliariis, sed & a rudiori sabulo, quod in angusto uretherum canali hæret, oboriri possunt. Accessit vero etiam in hac ægra nimia sanguinis congestio ad renes, ejusdemque regurgitatio ad ventriculum & intestina, dolori in lumbis totoque abdomine, nec non vomitioni ansam præbuit, ipseque affectus hanc ob causam merito pro nephritide cardialgica & colica venditari potest. Pro præservatione huius mali venæsectio cum fructu imperata fuit.

§. XXVIII.

Et profecto mirandum est, adeo nonnunquam incuriosos esse in conquirenda morbi historia medentes, ut haud raro ne quidem de mali origine sint soliciti, sed pathemata vix inaudientes, cœco ausu medicationem aggrediantur non modo frustraneam, sed & perniciosam, cuius rei illustre præbuit exemplum, vir generosissimus XXXVIII. annorum, aulæ Saxonicæ

minister, sanguineæ constitutionis. Commotus hic fuerat gravi iracundia, & post hanc sumserat cibum in convivio simulque liberaliter hauserat vinum, ex eo vero pessime habuerat, asthmate nempe convulsivo spasmodico oppressum fuerat pectus, noctu maxime ingravescente somnumque impediente, nil fere appetere potuerat, sed anxio pressus fuerat dolore quotiescumque nonnihil assumserat, hinc corpus contabuerat, facies facta icteritia summaque imbecillitas subsequuta, ut Medici ipsi ægrum pro conclamato habuerint. Demum accessit ad Dn. PRÆSIDEM formularumque medicamentorum a variis Medicis præscriptarum apparatum, ad octogenarium fere numerum ascendentem, eidem exhibuit, in quo nullum fere medicamenti genus omissum, sed purgantia, laxantia, emetica, salina aperientia, anodyna, carminativa, confortantia, stomachica, comprehensa, omnia tamen incassum usurpata. Etenim omnium, quotquot in consilium asciverat æger, indicationes & consilia, scripto etiam tradita, eo tendebant, ut crederent, hepar esse obstructum & sanguinis per hoc viscus progressum non recte succedere naturamque moliri hæmorrhoidalem fluxum, ideo promovendum, utut æger ne vestigium de hoc unquam percepisset. Dn. vero PRÆSES expensis curate singulis, in hanc ivit sententiam, ab ira sola subnatum fuisse hunc affectum & ex eo spasmodicas & convulsivas in nervis, qui ad ventriculum excurrunt, esse strictures itemque in tunicis nervosis ductuum biliariorum, nec non in nervis diaphragmatis. Hinc medicationem aggressus est pulvere diaphoretico, nitroso-cinnabarino & liquore anodyno minerali, loco potus ordinarii suasit decoctum demulcens, unacum infuso theiformi ex summitatibus millefolii, floribus chamomillæ, cum semine fœniculi, post aliquod vero tempus datum fuit sal Dn. PRAESIDIS aperitivum, cum pilulis balsamicis, & sic, adspirante divina gratia, intra men-

sem

fem, derelictus ab omnibus æger, perfecte ſanitati fuit redditus.

§. XXIX.

Perpauci etiam ſunt Medici, qui naturam & cauſas intermittentium, præſertim earum, quæ ex intemperata & diuturna aëris conſtitutione oboriuntur ac populares habent circuitus, recte perpendunt atque pernoſcunt. Vidimus id elapſo anno, quo ob tempeſtatem per totam æſtatem & Septembrem nimis calidam & ſiccam, invaſerunt intermittentes frequentiſſimæ, tertianæ, quartanæ, quotidianæ, mirum anomalæ & pertinaces, quippe quæ ex ſimplicibus in duplices, ex quartanis & tertianis in quotidianas degenerarunt, ſæpe ac, ut annotavi, vel decies recidivarunt, nonnunquam etiam purpura chronica demum acceſſit. Cauſa vero hujus irregularis & refractariæ indolis, meo quidem judicio, vix alia eſſe videtur, quam quod Medici firmiter perſtiterunt in præjudicio pathologico-therapevtico, febrium cauſam eſſe humores tenaces primas vias obſtipantes & in viſceribus infimi ventris hærentes. Hinc enim factum, ut nonniſi evacuantibus, aperientibus & incidentibus totum curationis negotium conficere anniſi ſint & datis liberali manu, vel quadrageſies ſalibus neutris & abſorbentibus, item pilulis ad imitationem Beccherianarum confectis, alvinam evacuationem provocare voluerint, omiſſis antiſpaſmodicis & roborantibus, inter quæ utique chaccarillæ & chinæ cortex, crocus martis ignem non expertus, liquor Dn. PRAESIDIS anodynus mineralis, nec non extractum & pulvis florum chamomillæ, primas tenent, utpote quæ ſanguinis motum ad corporis ambitum dirigunt & perſpirationem, qua ad febres ſanandas nihil ſalutarius, inſigniter promovent. Sic igitur non mirum eſt, deteriores factas febricitantium res, ut diu & miſere fuerint afflicti, quin novi exemplum tertianarii, qui mole abſorbentium & incidentium obrutus, prævia lipothymia, plane fuit extinctus.

§. XXX.

Detrimentoſum non minus his in febribus eorum fuit moſimen, qui autumarunt, declinante paroxyſmo, ſudorem, qui

ſponte prodit, medicamento ſudorifero, tinctura, vel eſſentia alexipharmaca, eſſe eliciendum, quo natura in ſalutari hoc negotio, adjuta febrilem eo facilius e corpore proſcribere poſſit materiam. Tametſi vero & rationis & experientiæ ſuffragio nitatur, tempore a febre vacuo, quo ſanguinis progreſſus, pulſu teſte, lentior, cum bonis ægrorum rebus perſpirationem congruis præſidiis ſecundari; nihilo tamen minus, quum ſuperioris anni febres ex valde bilioſa, ſalina ſulphurea ſanguinis & humorum intemperie ortum traxerunt, minus tutum ac e re fuit, medicamentis ſanguinem commoventibus, nec non pulveribus ſtomachicis ex radice ari, pimpinellæ, galangæ aliisque acrioribus compoſitis, extra paroxyſmum exhibitis, magis adhuc rarefacere ſuccos & ad progignendas ejusmodi acres bilioſas ſordes diſponere, a quibus poſtea ſummæ virium dejectiones ad lipothymiam usque, ſudores colliquativi cum purpura prognati. Magis potius rationi & experientiæ conſentaneum fuit, ſuccurrere pulveribus temperantibus, roborantib9 nitroſis & leniter evacuantibus mannatis, unacum recto corticis chinæ uſu, nec non leniter roborantibus ſalinis, cujus generis ſunt mater perlarum & conchæ ſucco citri irroratæ &, quæ magni uſus ſunt, teſtæ ovorum in ſpiritu ſalis maceratæ. §. XXXI.

Alii epidemicis his febribus decumbentibus incongruo corticis chinæ uſu nocuerunt. Fuerunt enim qui hunc in pulvere, una vel altera ante paroxyſmi acceſſionem hora, plena doſi ad drachmam unam exhibuerunt, quum febris jam per aliquot menſes corpus detinuiſſet. Tum quippe paroxyſmus ſequutus longe acerbior, majori anxietate, inquietudine & corporis jectigatione, ab auctos internos ſpaſmos, ſtipatus, horror longe diutius perſtitit viresque longe gravius fuerunt attritæ. Nihil enim perniciosius quam chinam chinæ paullo ante paroxyſmum, antequam ſordes bilioſæ in primis viis, vel ſanguine contemperatæ & leniter expurgatæ, offerre, eo quod hæ ſic retinentur, & ſpaſmi horum ſymptomatum auctores intenduntur.

§. XXXII.

Majoris momenti eſt curatio intermittentium in gravidis, de

de qua bina notatu digna memoria tenemus exempla. Corripiebatur scilicet generosa femina sanguinea, septimestrem fœtum gerens, quartana, gravibusque jactabatur pathematibus, Medicus tamen opinioni addictus, sanguinis missionem in intermittentibus nunquam esse utilem, sed exacerbare febrem, ut vena pertunderetur admittere noluit, sed essentiis amaris, spiritu vini extractis, nec non pilulis balsamicis, iterato & larga manu datis, contra febrem pugnavit. Aegra vero inde ardorem persensit acriorem & calorem intensiorem, ad viginti horas durantem, cum exquisito dolore & ventris torminibus, præsertim paroxysmi tempore, ut metus etiam esset abortus. Secta demum tamen fuit vena & pulveres temperantes nitrosi cum aliquot granis corticis cascarillæ & chinæ fuerunt exhibita, tam salubri effectu, ut febris omniaque symptomata brevi post evanuerint penitusque desierint. Etenim a nullo facile, vel efficacissimo remedio, tantum levaminis, in intermittentibus, si manifesta plethoræ adsunt indicia, exspectandum, quam a tempestiva venæsectione, eo quod exsuperante nimium sanguine & in majoribus ac mesaraicis abdominis vasis progressu libero intercluso, nec natura, necars, officio in curando morbo rite potest defungi.

§. XXXIII.

Altera femina, cholericæ constitutionis, octavo mense gravida, incidebat in tertianam simplicem, quæ illico quidem electuario cum cortice chinæ sistebatur, sed relinquebat pressorium & cardialgicum quendam circa præcordia dolorem, qui post sumtum cibum ingravescebat. Paullo post rediit non tertiana simplex, sed quotidiana, longe acerbioribus symptomatibus stipata, dum continui vomitus sub paroxysmo urgerent æstusque nimium intensus corpus & vires mirum consumerent. Sanguinis missionem interdicebat virium defectus & crebra vomitio, optime vero profuerunt pulveres temperantes bezoardici nitrosi, infusum florum chamomillæ & externe cataplasma, quod ex fermento panis, aceto, spiritu vini, nucista, caryophyllis & cardamomo paratum, calide ventriculo post paroxysmum impositum. Censura merito digna est prima medicatio, qua ele-

ectualrium tempore quidem intermittente, ſed non proportionata doſi propinatum, neque correctis prius & liberatis a ſaburra vitioſa primis viis. Nunquam enim hoc medicamentum antifebrile dare expedit, ſub nimia ſanguinis & humorum redundantia, niſi ubi prius omnia emunctoria aperta & excretiones recte ſuccedunt. Liberior etiam eſſe debet perſpiratio, urina craſſa & ſedimentum ponens & viſcidarum & bilioſarum ſordium promta per alvum egeſtio, procurante hæc natura, ſive ſola, ſive arte adjuta.

§. XXXIV.

Ex pluribus quæ nobis ad manus ſunt, pauca hæc tantum adduxiſſe ſufficiat exempla, eum in finem, ut quisque, qui cum cautione & prudentia in artis medicæ exercitio verſari cupit, luculenter perſpiciat, quam noxii errores & perniciosæ hallucinationes in medendo committantur, ſi quis veram morbi vel ſymptomatum cauſam non ſcrutetur, ſed ignoret, neque medicamentorum vires, quæ removendis cauſis reſpondere debent, cognitas habeat, adeoque remedia, quæ plane corrigendis & tollendis iis, e quibus morbi naſcuntur, ſunt inidonea adhibeat. Id enim omnes, qui praxin aggrediuntur, primo omnium ſcire oportet, eaque propter neque ſatis ſerio inculcari poſſe cenſeo, ad tutam certam & efficacem morborum therapiam, non alium patere aditum, niſi per exquiſitiorem & rationalem pathologiam, ſive cauſarum morbi notitiam, cuius defectu multum adhuc artem noſtram laborare, eſt manifeſtiſſimum.

JAm Tibi, quem deamo, Tibi jam, clariſſime WEISI,
Doctoris munus traditur ex meritis,
Scimus enim prudens ſemper SAPIENSque quod exſtes,
Quodque gradus ſummus comprobat ipſe novus,
Qui nulli, qui non SAPIENS & candidus exſtat,
Committi recta cum ratione ſolet.
Semper honos nomenque Tuum laudesque manebunt,
Omnia *Vir Sapiens* ſi *ſapienter* agas.

GEORGIVS FRIDERICVS STABEL,
Medic. D. & Pract. Halenſ.

(o)

eectualriu
onata dosi
burra vitio
antifebrile
dundantia,
nes recte
na crassa &
sordium p
sola, sive a
Explu
xisse suffici
& prudent
perspiciat
nes in me
matum c
rum vires,
beat, adeo
quibus m
qui praxi
pter nequ
& efficace
si per exq
morbi

non proporti-
liberatis a sa-
medicamentum
humorum re-
ta & excretio-
erspiratio, uri-
& biliosarum
ec natura, sive

tantum addu-
i cum cautione
it, luculenter
hallucinatio-
bi vel sympto-
medicamento-
t, cognitas ha-
tollendis iis, e
Id enim omnes,
rtet, eaque pro-
l tutam certam
ere aditum, ni-
sive causarum
tem nostram

JAm Ti
D
Scimus
Q
Qui nulli
C
Semper h
O

VEISI,

d exstes,
novus,

bunt,

VS STABEL,
Halens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf